

cum Abrahamo & semine eius post A eum. Ad collaterales non videtur spectasse fœderis gratia. Cum tamen non sit incredibile, Abrahamum ex charitate Lothum nepotem sæpius ad se vocasse, & sanctam fidei communionem cum eo seruasse, & paulo post Lothi pietas celebretur, adeo vt eius seruandi causa

etiam angeli diuinitus mitrantur; eum quoq; circumcisionem suscepisse probabile est; licet fœderis dignitas in sola Abrahami & Isaaci linea hæreditario manserit. Quæ sententia fieret probabilior, si de Ammonitarum & Moabitarum circumcisione ex sacra historia aliquid constaret.

## CAPITIS DECIMIOCTAVI Argumentum, Vsus, Partitio.

**I**N textu Hebraeo sequitur *וַיֵּרָא* siue sectio quarta, à prima dictione dicta *וַיֵּרָא* & apparuit, vsque ad cap. 23. continens historiam terribilem de euersione Sodomorum: letiorem de Abrahami & Saræ protectione, & Isaaci natiuitate: admirabilem de immolatione eiusdem.

Hoc capite noua & sexta apparitio Dei describitur, quam contigisse paucis post superiorem diebus credibile est: quia Isaac post statum tempus, vt prius cap. 17. nasciturus repromittitur: idq; in gratiam Saræ, quæ promissionem nondum audiuerat. Celebratur Abrahami eximia humanitas erga peregrinos, quos ad beneficium accipiendum beneuole inuitat: & charitas erga vicinos, pro quorum incolumitate, licet indigni essent, apud Deum reuerenter intercedit. Dei vero admiranda bonitas, quod suis semper sit præsto, & ingentibus præmiis virtutem remuneretur: item prouidentia, quod res hominum minime negligat: & iustitia cum summa æquitate coniuncta, quod atrocia peccata atrociter vindicet: tamen ad vindictam neque indicta aut incognita causa, neque ante tempus festinet.

Partes rursus erunt quatuor.

1. De hospitalitate Abrahami, vsque ad vers 9.
2. De repromissione Isaaci nascituri: deq; risu Saræ, vsque ad vers 16.
3. Oraculum de instante Sodomorum excidio, vsque ad vers. 23.
4. Supplicatio Abrahami ad Deum pro Sodomis, vsque ad finem.

## PRIMA PARS CAPITIS. De hospitalitate Abrahami.

- 1 Apparuit autem ei Abrahamo Iehouah in quercubus Mamre: & ipse sedebat ad ostium tabernaculi, cum astus diei esset.
- 2 Cumq; eleuaret oculos suos, vidit: & ecce, tres viri stantes erant ante eum: quos vt vidit, cucurrit in occursum eorum ex ostio tabernaculi, & incuruauit se ad terram.
- 3 Dixitq;: Domine. si nunc inueni gratiam in oculis tuis, ne queso transeas à seruo tuo.
- 4 Tolletur afferetur nunc pauxillum aquæ, & lauate pedes vestros, & innitimini sub hac arbore.
- 5 Interim afferam buccellam panis: & rescite cor vestrum, postea pergetis: quoniam iccirco transiistis ad seruum vestrum. Et responderunt: sic facito, quemadmodum dixisti.
- 6 Festinauit itaque Abraham in tentorium ad Saram, & dixit: Festina, tria sata farina simile misce, & fac subcineritias placentas.
- 7 Et ad boues cucurrit Abraham, & accepit vitulum tenerum & bonum, deditq; puero, qui festinauit parare eum.

§ Tullit